



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XXVI. S. Dionysius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

prouincias constitutis, sicut & antecessores sui fecerant, constitutum fecit, ut nemo Episcopum, vel quemlibet Ecclesiæ prælatum ^{2. q. 7. c. f. q. uis.} prius accusare præsumat, quām eum conueniat, & si aliter egerit, communione priuetur. Similiter statuit, ut nemo Pontificum aliquem Episcopum suis rebus exspoliatum, aut à sede expulsum, excommunicare, aut iudicare præsumat, quia non est priuilegium, quo spoliari possit iam nudatus. Item decreuit, ut nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, vel ordinare, vel iudicare: quia sicut irrita eius ordinatio erit, ita & diiudicatio, quia nullus nisi sui iudicis sententia potest teneri, quoniam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus potest. Similiter constituit, ne illa quæ incerta sunt iudicentur, quia quamuis sint vera, non tamen sunt credenda, nisi quæ certis indicis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. ITEM auctoritate & verbis Apostoli confirmat, inscriptionem aduersus presbyterum non esse recipiendam absq; *Exod. 23.* duobus vel tribus idoneis testibus. Item à prædecessoribus suis *l. Tim. 5.* plerunque statutum commemorat, ut nemo anathema in Episcoporum suscipiat accusatione. Item, nec illi, qui eos in sua non lunt recipere querela vel accusatione.

XXVI.

A. CCCLXI.

S. DIONYSIVS.

DIONYSIVS ex monacho, cuius generationem non potuimus reperire, sed annos 6. menses 2. dies 4. Fuit autem temporibus Gallieni ex die 11. Calend. August. Æmiliano & Bassa Consulibus usque in 7. Kalend. Ianuar. à Consulatu Claudi & Paterni. Hic presbyteris Romæ parochias Ecclesias dedit, singulas singulis: & ipsas parochias & cæmeteria eis * dimisit, & vni- * *dimit.* cunque ius habere proprium constituit, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut ius inuadat, sed unusquisque suis sit contentus. Et in epistola, * quam Seuero Episcopo Cordubensis prouinciæ destinauit, ipsi Seuero, cæterisque Episcopis, hoc quod ipse inde ipse statuerat seruare & sequi præcepit. Item in *13. q. 1. c. Eccl. f. stat.* eadem constituit, sicut & sui prædecessores fecerant, ne crimina Episcopis per alios liceret impingi, nisi per ipsos, qui crimina intendunt, & ipsi tales sint, quales superius antecessores suos determinasse sepe ostendimus. Hic ordinauit Episcopos 8. presbiteros 12. diaconos 6.

D 2

XXVII.